

tempore nemo foras exeat impunè. Certe è nostris huic aures, illi nares adustæ, ac mihi quidem obrigit penè crus alterum. Paludosum plerumque solum, ibi arbores paucae. Virgulta tantum videre, ut vepres, salices, quod autem mirabere, perdices suprà modum frequentes, item anseres, atque imprimis magna vis Caribitorum. Caributus penè præter cornua *damæ* planè similis. Barbari indigenæ nihil avenæ colligunt, toti sunt in venatione, quā solā victum sustinent. Nulli apud eos pagi. Vagantur errabundi quā felicior venatus: aestatis tempore ad oras maris proprius accedunt. Ubi redit hyems, medias in terras recipiunt sese. Pigra gens, timida, parum ingeniosa, vitio dedita; quod ad religionem, ut captus est Canadensium.

Versus lacum Superiorem his succedunt septem aut octo nationes, quarum illustriores fortitudine, numero, ingenio, *Assinoboeli* et *Krigi*. Morantur illi in pagis ad tres quatuorve menses continuos: quo temporis spatio religionis ch^{mæ} præcepta edoceri possent. Ab his spargendi divini sermonis initium habendum esse existimaverim.

Porro ad ediscendam linguam barbarorum hujusce oræ incumbere parùm mihi licuit hactenus, qui operam omnem dare Gallis coactus fuerim; multa tamen verba schedulis excepi: confessionem sanct^{mæ} Trinitatis, Dominicam orationem, Salutationem angelicam, Symbolum ap^{rūm}, capita decalogi, versi patrio sermone, ut potui. Ipsis etiam aliquid de